



**R. P. Georgii de Rhodes Avenionensis S. J. disputationum
theologiae scholasticae tomus ...**

Rhodes, Georges de

Lugduni, 1661

Sectio I. Veritas Catholica de pœna malorum Angelorum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-81987](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-81987)

Sed, vt dixi, leue hoc dubium est, quia æquè distingui potest triplex in bonis Angelis operatio, ac in malis, nam post primum instans, in quo sine aduersario conuertuntur ad Deum, & ipsum amant, nouus sine dubio debet succedere actus, quo resistent malorum Angelorum insultibus, non quod primus ille actus non ita feruens esse potuerit, vt resisteret etiam aduersariis insurgentibus, sed ibi cum nouum occurrat obiectum, nouus etiam sine dubio actus interuenit, ergo etiam nouum instans distingui potest.

In secundo instanti boni Angeli fuerunt viatores.

Secundam partem quæ asserit Angelos sanctos fuisse viatores in secundo instanti negat Fertariensis lib. 3. contra gentes cap. 110. contra communem sensum Sanctorum Patrum, & Theologorum: *Voluntatis fuit Angelorum* (inquit S. Prosper lib. 1. de vita contemplat. cap. 3.) *quod aliis sponte cadentibus ipsi in sua dignitate manserunt*: Idem docet Augustin. lib. de Corrupt. & Gratia cap. 11. vbi ait: *Sanctos Angelos per liberum arbitrium stetit in veritate*. Videturque compertum quod Deus æqualiter se habuit ad omnes Angelos antequam aliqui eorum peccarent.

Nouæ gratiæ necessitas.

Dico secundo, vt peccantibus malis Angelis, boni perseuerarent in gratia, nouum eis necessarium fuit auxilium, fortius & robustius eo auxilio, per quod confortati sunt ad amorem in primo instanti suæ creationis.

Ratio est, quia sine auxilio gratiæ nemo continuare potest actum bonum prius inceptum, neque nouum vllum actum elicere: Boni Angeli post primum instans non tantum perseuerarunt in illo actu amoris quem in primo instanti elicerant, sed nouum etiam actum habuerunt, vt ostendebam, quo tentantibus malis Angelis restiterunt, ergo nouum illi sine dubio auxilium habuerunt. Et quia difficilior operatio est quando adest vehemens tentatio, quam vbi nulla est huiusmodi occasio peccandi, maius etiam fuit auxilium gratiæ datum Angelis in secundo instanti ad resistendum tentantibus, & vehementer impellentibus ad malum, quam auxilium datum in primo instanti, in quo quæta & pacata erant omnia, sine vlllo impulsu ad malum.

Magnitudo meriti.

Dico tertio, in secundo illo instanti sancti Angeli meruerunt augmentum maximum gratiæ meritumque totum ita consummarunt, vt deinceps nihil sint meriti per opera quæ in statu beatitudinis exercent: v. gr. per hominum custodiam, & ministeria Reliqua commissa illis à Deo.

Ratio est, quia in eo instanti sancti Angeli plurimum creuerunt in gratia, in quo exercuerunt plurima opera præstantissima virtutum nobilissimarum, modo perfectissimo: illa enim sunt tria, quæ ad augendam sanctitatem minimo tempore multum valent. Si perfectissimos actus elicias virtutum, si plurimos, si modo perfectissimo. Fuerunt autem tria illa in sanctis Angelis quibus ad excelsum gradum beatitudinis obtinendum, breuissimum à Deo concessum erat temporis spatium multiplicarunt actus virtutum, & earum omnium motiua contulerunt in vnum actum negotiatores peritissimi, & eos summo cum feruore sancti desiderij elicerunt. Fuit videlicet Fides illa perfectissima, quæ falsis malorum suasionibus restiterunt, fuit Spei summa perfectio, Amoris feruor mirabilis, Religionis studium eximium, humilitatis, constantiæ, fortitudinis virtutum denique omnium exercitium absolutissimum, quod ostendit breue illud sed potentissimum, ac tutissimum Michaëlis scutum dicam an ælum: *Quis vt Deus?* Vbi quatuor Syllabis omnem videtur conclusisse absolutissimæ virtutis perfectionem. Victor Archangelus; hoc vno elogio, tori rebellium exercitui par & superior, & Deum vindicauit à calumnia, & viam sibi aperuit ad summam gloriam.

Quod autem consummatum etiam eo instanti fuerit hoc meritum, adeo vt deinceps nihil eis accesserit ad promerendum augmentum beatitudinis, receptissima Theologorum sententia est, quia licet non pugnet status beatitudinis cum merito, cum Christus & beatitudinem habuerit, & meruerit tamen infinitè, tamen ex certissima Dei lege simul & iustissima, nulli creaturæ concessum est vt extra statum viæ ulterius mereri possit augmentum gloriæ, alioqui homines etiam beati augere possent bene operando beatitudinem, quod esset sanè possibile si Deus vellet, sed aliter statuit Dei remuneratoris voluntas sapientissima, qui hominum & Angelorum sic diuisit tempora vt pars vna via esset ad meritum gloriæ altera quies esset & terminus in possessione gloriæ, in altera prælium, in altera præmium.

Solutio trium dubitationum.

Ad primam satis manifestè ostensa est distinctio trium instantium etiam in bonis Angelis quibus necesse fuit nouam elicere aliquam operationem, vt perseuerarent in Fide Deo debita quod ostendunt etiam præliantis Michaëlis verba victricia: *Quis vt Deus?*

Ad secundam ex secunda conclusione manifestum est, quod auxilio robustiori armari Angeli debuere in secundo instanti vt pugnarent, & vincerent; operati enim sunt nouo & perfectiori modo quam ante.

Ad tertiam patet etiam ex tertia conclusione, quod breuissimo tempore magna obtineri potuerunt ab Angelis incrementa gratiæ. Plus videlicet spatij conficit Sol vno quadrante, quam formica conficeret mille sæculis.

QVÆSTIO III.

De tertio instanti malorum Angelorum statu nimirum damnationis, & pœnæ.

S. Thom. quæst. 64.

HActenus dixi peccatum & meritum Angelorum reproborum & electorum, nunc vox Domini diuidentis flammam ignis, & malis Angelis in pœnam peccati ardorem decernentis, bonis autem splendorem tribuentis in præmium, vt interpretatur eximie Basilus in Psalm. 44. monet inquam vox illa vt diuisim agam de pœna, & de beatitudine horum spirituum inter quos tantum interiectum est chaos. Primum ergo vt accuratè pœnam hanc explicem, nunquam satis explicandam, & nunquam satis timendam proponenda esse videtur Catholica veritas de pœna Dæmonum. Secundò, pœna sensus in qua præcipua difficultas est, & meræ tenebræ. Tertio, pœna Damni.

SECTIO I.

Veritas Catholica de pœna malorum Angelorum.

VT magnitudinem hanc iræ Dei, & iustitiæ illius in rebelles spiritus proponam, video præmitti debere quinque in quibus continetur Catholica veritas de hac pœna, vbi multa, sine dubio communia sunt reprobis hominibus, & Angelis. Primum, vtrum verè sit aliquis infernus in pœnam Dæmonum, & hominum. Secundò, vbi sit infernus, & qualis sit. Tertio, quænam genera pœnarum sint in inferno ad cruciandos damnatos. Quarto, quando cæperit pœna Dæmonum, Quintò, quandiu duratura sit.

S. I.

Vtrum verè sit infernus aliquis in pœnam reprobis Angelorum & hominum.

NEgant infernum vllum esse Athei omnes, negant libertini, & plerique impij quibus accesserit etiam olim

De perfectione supernaturali Angelorum. 263

olim Marcionitæ ac Albigenſes, ac demum poſteriori ſæculo Caluinus, Bucerus, Beza, excæcantes illos omnes dementia ſua, & claudente oculos, ne videant exitum in quod ruunt; malunt enim negare infernum eſſe, quàm abſtinere à malicia, quæ illos ad infernum trahit. Contra quos omnes

Exiſtentia
inferni.

Dicendum primò eſt, certiffimâ Fide tenendum eſſe, quod reuerà conſtitutus à Deo ſit aliquis infernus, in quo reprobi omnes tùm Angeli, tùm homines detineantur & torqueantur.

Probatio.

Ratio eſt, quia ſtultum omninò eſt infernum negare, ſi eum omninò eſſe, certiffimè aſſeuerent ſcripturæ omnes tùm veteris, tùm noui teſtamenti, ſi Conciliorum, & Patrum, & totius Eccleſiæ ſuffragium indubitanter definiat, ſi Ethnicorum etiam ſapientum omnium confirmet authoritas, ſi denique tam euidentes coniecturæ hoc demonſtrent, vt luce clarior appareat exiſtentia hæc caliginis æternæ. Nam vbi quatuor hæc reperiuntur in rebus quæ à Dei voluntate pendent, certè inſipientis eſt dubitare, vel non tenere aliquid tanquam omninò certum. Quid enim ultra requiri poteſt, ſi Deus ipſe per ſcripturas teſtis ſit, ſi Eccleſia, ſi Concilia, ſi Patres, ſi omnes ſapientes, ſi rationes eſſe infernum confirmant, & credere certò iubeant?

Ex ſcrip-
turis.

Primò ergo, nihil eſt frequentius in ſcripturis Teſtamenti tùm veteris, tùm noui, Iſaiæ 3. *Præparata eſt ab heri Tophets* (id eſt locus Gehennæ) *à Rege præparata, profunda & dilatata, nutrimenta eius ignis & ligna multa, ſtatus Domini ſicut torrens ſulphuris ſuccendens eam.* Tophets (inquam) vallis eſt filiorum Ennon, vbi cremabant Iudæi filios ſuos Idolo Moloch, & locum designat vbi perduelles filios Deus crematurus eſt in æternum. Præparata verò eſt ab Heri, id eſt, à principio mundi Diabolo & Angelis eius, explicatur autem poſtea carceris huius diſpenſationes, & variæ conditiones, de quibus poſtea dicetur. Pergit idem Propheta cap. 33. *Quis poterit habitare de vobis cum igne deuorante? quis habitabit cum ardoribus ſempiternis? vbi Deus*, iuxta interpretationem Hieronymi & Procopij, *terret impios exemplo ignis qui deuorauit copias Regis Sennacherib breuiſſimo tempore.* In Plalmis autem Regius Propheta, nihil obijcit oculis frequentius, quàm infernum, Plalm. 48. *Sicut ones in inferno poſiti ſunt, mors depaſcet eos.* Plalm. 93. *Niſi quia Dominus adiunxit me, paulò minus habitafſet in inferno anima mea,* alia omitto innumera, vbi Propheta, vbi Iob, vbi Moyſes vique adedò infernum proponunt, & graphicè depingunt, vt cæcus ſit qui hunc non videat, & ſtultiſſimus qui non timeat.

Teſtamen-
ti noui au-
thoritas.

Neque obſcurius in Nouo Teſtamento Chriſtus & Apoſtoli de inferno loquuti ſunt, Matthæus, Marcus, Lucas referunt, Chriſtum dicentem & inculcantem, *bonum eſt tibi debilem intrare in vitam æternam, quàm duas manus aut duos pedes habentem, mitti in Gehennam in ignem æternum, in ignem inextinguibilem: eum timete qui poteſt & corpus & animam mittere in gehennam: mortuus eſt diues, & ſepultus eſt in inferno.* S. Petrus cap. 2. epiſt. 2. *Deus Angelis* (inquit) *peccantibus non pepercit, ſed rudentibus inferni detractos, in tartarum tradidit cruciandos.* Sanctus etiam Iudas, *Angelos qui non ſeruauerunt ſuum principatum, vinculis æternis ſub caligine reſeruauit.* Deſcribenda hoc loco eſſent Apocalypſis cap. 12. 14. 20. 21. vbi deſcribitur lacus iræ Dei magnus, torrens ignis & ſulphuris de quo bibunt, qui adorauerunt beſtiam, & potauerunt voluptatem mortiferam in calice Babylonis inde ſtagnum ignis & ſulphuris, puteus abyſſi de quo exit fumus in ſæcula ſæculorum. Nunquid narrat Propheta ſomnia? nunquid Chriſtus deliria? nunquid Apoſtoli aniles fabulas? an vera pandunt oracula, & tradunt nobis ea quæ à Deo ipſo didicerunt, vt illis

terrificè caueamus nobis à loco tormentorum? vel igitur centies mentitus eſt Deus in ſcripturis, vel eſt reuerà infernus.

Secundò, eandem veritatem Catholicam credendam proponit nobis Eccleſia, linguâ Spiritus Sancti, & interpretes omnium eius oraculorum, dicit autem in ſymbolo Apoſtolico *Chriſtum deſcendiſſe ad inferos*, quod idem repetitur in Niceno, neque omittitur in ſymbolo Athanaſij, quod *qui bona egerunt ibunt in vitam æternam, qui vero mala, in ignem æternum*, additque ſtatim, *hanc Catholicam eſſe Fidem.* Neque in ſymbolis duntaxat omnibus hoc proponit Eccleſia, ſed in omnibus etiam Conciliis id definit, expreſſiffimè autem in Concilio Toletano 4. Arelatenſi 4. Florentino ſeſſ. vlt. in litteris vnionis, & in aliorum omnium profeſſione Fidei; da enim vnum vbi hoc non habeatur. Denique ſancti Patres vox etiam altera Eccleſiæ mirabiliter in hoc argumento verſati ſunt, præſertim quando oſtendunt quam graue ſit, *non ſentire quod illuminat, ſentire quod cruciat*, (vt loquitur S. Proſper l. 3. de vita contemplat. c. 17.) *exundantis incendiij terribiles crepitus pati, barabari ſumantis horribili caligine oculos obſecari, profundo gehennæ fluctuantis immergi, edaciſſimis in æternum dilaniari vermibus, nec finire.* Longum eſſet referre quæ habent Eucherius in homiliis ad Monachos, ex quibus aliqua in ſequentibus referentur, Gregor. l. 4. Dialog. c. 36. & l. 9. 12. 13. Moral. Tertull. in Apolog. cap. 11. & 40. Auguſt. l. 21. ciuit. cap. 11. Chryſoſt. orat. in ſecundum Domini aduentum. S. Iuſtinus q. 75.

Authoritas
Eccleſiæ.

Tertiò, penetrauit etiam ad Ethnicos hæc noticia inferorum quam ſine dubio à Moyſe vt alia plura, vel ab aliis ſcripturis didicerant. Referunt autem ex huiusmodi Ethnicis plurima Clemens Alexandr. in protrept. Tert. loco citato. Minucius in Octauio, Aneas Gazaus in Theophrasto, Eufeb. l. 11. præparationis, Eugubin. de perenni Philoſophia l. 1. c. 22. nam v. g. de inferno expreſſè loquitur Plato in Gorgia ſub finem, & in Phædone ſub medium. Trimegiſtus c. 10. Aſclepij & c. 1. Pimandri.

Sapientes
Ethnici.

Quartò, rationes etiam tùm à priori, tùm à poſteriori probare poſſunt id quod intenditur. Prima ſit, quia iniuſtus Deus eſſet, ſi tot crimina, quæ committuntur quotidie ab hominibus manerent impunita, non puniuntur autem ſepiſſimè in hac vita vt patet, ergo neceſſe omninò eſt vt in altera puniatur. Accedit commiſſi in Deum enormitas peccati, quod nulla pœna ſatis vnquam punire valet, niſi ſit æterna, ergo eſt omninò æquum vt peccatores pro meritis in deſtinato aliquo loco ſupplicij puniantur vt videant ſemper, quam malum & amarum illis ſit in dominum deliquiſſe. Secunda ratio ſit ex innumeris & ſerè quotidianis, tùm dæmonum, tùm hominum apparitionibus, ex multorum etiam hominum raptu ad videndos inferos, accedunt etiam montes ignem vomentes, quos inferni velut hiatus, & ſpiracula rectè vocat Tert. vt ex illis conijciatur de flammis in ſubterraneo illo pœnarum theſauro reconditis, atque adedò etiam à viuentibus infernus quaſi videatur.

Cōiecturæ

Hæc quatuor vt in pauca nunc colligam, ſic lubet ratiocinari demonſtratiuè. Nam in re quæ non eſt neceſſaria, ſed contingens à ſola Dei voluntate pendet, nulla potuit probatio afferri efficacior & certior quàm ſi hoc voluiſſet Deus, certò aſſerat ipſe Deus per omnes ſcripturas, per totam Eccleſiam, per omnia ſymbole Fidei, per omnia Concilia, per omnes Patres, per ſapientes etiam Ethnicos, per euidentes coniecturas. Imò addo ſi reuerà daretur infernus quem poſſe dari certiffimum eſt, quoniam argumento alio conſtare poſſet illum eſſe in altera vita quæ non parer oculis, niſi eo quod duceretur à tot teſtimoniis adedò euidentibus, vt ſi vera illa non eſſent, certè iuſtiſſimè

stiffimè potuissent dicere se à Deo ipso deceptos esse qui rei falsæ tam clara voluerit esse argumenta.

§. II.

Ubinam sit infernus, & qualis sit.

O Stendi dari re verâ infernum, id est animas peccatorum & Angelos verè puniri à Deo, neque fabulam illam esse, sed certissimam, & compertissimam, & Catholicam veritatem, nunc ut respondeatur ad quæstionem quid sit, videndum est, an illud sit spatium aliquod corporeum, an sit subterraneum, quàm latum sit & profundum.

Dico secundo infernus locus est corporeus specialiter ad pœnam in iniis terræ visceribus effossus: profundissimus, & capacissimus multa continens milliaria: ubi detinentur clausi Dæmones cum hominibus reprobis.

Locus corporeus.

Prima pars, quod infernus locus sit corporeus deputatus specialiter ad pœnam peccatorum probant allata supra probationes Scripturarum, Conciliorum, Patrum, coniecturarum, & rationum. Sed adhuc tamen suppetunt alia non pauca quæ addi possint. Primo ex Veteri & Nouo Testamento, Sapientiæ 5. *Talia dixerunt in inferno qui peccauerunt: Ecclesiast. 21. Via peccantium complanata lapidibus, & in fine illorum, inferi & tenebre & pœna.* Depingitur autem graphice à Iob cap. 10. ubi vocat eam terram *Tenebrosam & opertam mortis caligine, terram miseria & tenebrarum, ubi umbra mortis, & nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat:* & cap. 20. de hominibus loquens indulgentibus voluptati: *Ducunt in bonis dies suos, & in puncto ad inferna descendunt,* quod etiam regi Babylonio Isaïas comminatur cap. 14. *Veruntamen ad infernum detraheris usque ad profundum laci.* In nouo etiam Testamento sapissimè locus idem describitur aliquando, ut dixi, (gehennæ) nomine: *Eum timeat qui potest & animam & corpus perdere in gehennam:* Aliquando nomine (inferni) *mortuus est diues & sepultus est in inferno:* Varie quoque in Apocalypsi pingitur: *Lacus ira Dei magnus, torcular vini ira Dei omnipotentis & mors secunda.* Secundo Patres idem sæpe repetunt, & inferni horribilem speciem proponunt Tertullianus c. 47. Apolog. *Si gehennam comminemur quæ subterraneus est arcani ignis, ad pœnam thesaurus, de hac chinamur:* Cyrill. lib. 1. in Isaïam cap. 5. *Locus est infernus, miserarum animarum carcer horrendus, & orat. de exitu animæ docet eas animas quæ in peccato moriuntur, Deduci ad opaca terrarum, in terram tenebrosam, & fuliginosam, in infimas infernorum carcerum partes, &c. idem argumentum fusè persequitur Chrysost. homil. 49. & 50. ad populum.* Denique aperta ratio est, quia sicut pro amicis Dei locus vnus est quietis & præmij, sic pro inimicis vnus etiam esse debuit carcer & supplicij locus ubi miseri degant & moriantur ut victimæ domini exercituum, ut habetur Isaïæ 34. Ieremiæ 46. Ezechielis 39.

Sub terra effossus.

Secunda pars, quod effossus sub terra, & vicinus centro carcer ille sit ad quem nulla è cælo lux penetrare possit, colligitur ex Scripturis Numerorum 16. *Disrupta est terra sub pedibus eorum, & aperiens os suum, deuorauit illos, descenderuntque vini in infernum operti humo.* Idem indicant allata Iob testimonia, & alia ubi vocatur abyssus, puteus abyssi, profundum laci. Patrum eadem vox est, quamuis subdubitasse videantur August. lib. 27. Ciuit. c. 16. Gregor. lib. 4. Dialog. c. 42. Tertull. autem eleganter lib. de anima cap. 55. postquam retulit Platonem dixisse quod infernus sit velut gremium terræ, quo labes omnes mundalium fordium confluendo, & ibidem desidendo exhalent, statim addit, *Nobis inferi non nuda cauitas nec subdinalis aliqua semina creduntur, & infossa terra & in alto vastitas & in ipsis visceribus eius abstrusa profunditas.* Congruentia

demum afferri potest quia debuerunt damnati remotissimi esse à cælo, & à Dei throho, sicut remotissimi sunt à misericordia. Imò in infimo debuerunt mundi loco agere, quod contemptissimæ sint creaturæ, eo quod Creatorem contempserint; eò etiam confluere debuerunt omnes mundi fordes, ut augeant tetterimum fœtorem; eò denique (ut dixi) nulla lux affluere, ut in caligine sepulti luerent pœnas tenebrarum quas prætulerunt lumini cui fuerunt rebelles.

Tertia pars, quod amplissimus, profundissimus, capacissimus sit horreus hic carcer certissima est, quia debet esse sufficiens ad capiendam innumerabilem damnatorum multitudinem tum hominum, tum etiam dæmonum, qui sine dubio apparebunt in corporibus ignitis, ac proinde locum occupabunt sine penetratio- ne. Multitudinem autem hominum damnatorum putat Lessius peruenturam ad vicies aut tricies mille millones coniectura ducta ex sæculis 60. quibus duraturus esse creditur mundus: alij extendunt ad centum millia millionum vnde colligunt locum illum esse debere capacissimum, in quo sit etiam stagnum illud ingens ignis & sulphuris de quo postea. Quantum autem spatium illud esse debeat non satis constare potest. Ribera in cap. 14. Apocalypsis putat spatium eius esse stadiorum mille sexcentorum, quæ continent milliaria Italica Ducenta, & Germanicas Leucas quinquaginta. Spatium verò illud valde contrahit Lessius ad duas scilicet Leucas cubicas, quas contendit sufficere ad capiendam damnatorum multitudinem decuplo maiorem, præsertim cum damnati non ita sint disponendi ut liberè possint ad varia loca moueri: congregabuntur enim omnes in vnum cumulum instar carbonum, aut lignorum ardentium: stupa enim collecta synagoga peccantium, & consummatio illorum flamma ignis.

Amplissimus.

Quarta pars quod eo carcere clausi sint Dæmones omnes, & homines damnati, sequitur ex dictis: quod tamen ita intelligi debet ut ante diem Iudicij multi tamen Dæmones extra infernum vagentur & versentur in aëre, quæ communis est sententia Patrum & ad Fidem Apostolicam pertinere asserit August. lib. 11. in Gen. c. 26. Videturque colligi ex Scripturis ubi appellantur Dæmones: *Rectores tenebrarum harum; spiritualia nequitiæ in cælestibus: Principes potestatis aeris huius.* Sed post diem Iudicij claudentur omnes tetro illo carcere ut describitur c. 20. Apocalypsis.

Carcer dæmonum, & hominum.

Ex quibus omnibus difficile non est colligere, quàm sit horribile antrum illud subterraneum longissimè distitum à cælo, vastissimum, profundissimum, caliginosissimum, & fœtidissimum. Vocat Isaïas: *Humum picis & sulphuris.* Iob, *Terram tenebrosam, & opertam mortis caligine.*

§. III.

Quanam genera pœnarum sint in inferno.

Scit tradita horribilissimi carceris velut ichnographia. Sequitur ut ea proponam genera pœnarum, & tormentorum quorum locus proprius est infernus: quid nimirum teneri debeat tanquam omnino indubitatum de illis pœnis; quid verò dubium aut etiam fictitium iudicari debeat. In primis autem celeberrima difficultas est, utrum ibi sit verus & propriè dictus ignis crucians damnatos: quomodo autem ipsos etiam spiritus cruciari possit, postea explicabitur.

Esse autem verum ignem in inferno negarunt iam olim omnes Epicuræi, & Athei apud Lactantium, & nunc recentiores Hæretici apud Cocceium lib. 10. c. 7. ex Catholicis solus inuentus est Catherinus qui ausus est dicere ignem inferni non esse nisi metaphoricum neque aliud esse quàm grauissimum dolorem ab irato Deo.

Ignem in inferno negarunt aliqui.

Ratio

Triplex
dubitatio.

Ratio verò dubitandi esse potest primò, quia sicut in scripturis dicitur esse in inferno ignem, sic dicuntur etiam esse vermes, *vindicta impij ignis & vermis*, & alibi *ignis eorum non exstinguitur, & vermis eorum non moritur*: dicuntur etiam esse nives Iob. 24. *Ad nimium calorem transeat ab aquis nivium*: sed vermes & nives non ibi sumuntur nisi metaphoricè, ergo ignis ibi duntaxat est metaphoricus.

Secundò multi etiam Patres ignem non ibi videntur ponere nisi spirituales ac metaphoricum præferunt August. & Damasc. videturque ex Euangel. Lucæ posse confirmari, nam ibi dicitur ardere diues epulo, eo prorsus modo, quo dicitur habere linguam, quam postulat refrigerari: sed cum non sit nisi anima, linguam illam non intelligitur habere nisi metaphoricè, ergo ignis ibi etiam est solum metaphoricus & improprie.

Tertiò, non apparet qualis esse possit ille ignis, qui non eget pabulo, non consumit damnatorum corpora, lucem non habet, neque speciei eiusdem esse potest cum nostro igne.

Conclusio
affirmans.

Dico tertiò, certissimum omninò esse, neque sine summa temeritate negari posse quod sit in inferno verus ignis corporeus, quo crucientur damnati omnes tum Angeli tum homines; ita constanter Catholici omnes doctores contra temerarium Catherini placitum quod hæreticum esse meritò iudicat Suares; alij cum Vasq. Arrub. Petauio solâ certitudine theologica putant haberi, sed omninò indubitata, quod in inferno sit verus ignis.

Scriptura.

Primò enim non potuit Deus in omnibus scripturis ignem hunc clariùs demonstrare Deuter. 32. *Ignis succensus est in furore meo, & ardebit usque ad inferni nonissimam*, in hebræo habetur *usque ad voraginem inferiorem*. Iudith. 16. *Dabit ignem & vermes in carnes eorum, ut urantur & videant usque in sempiternum*. Pl. 20. *Pones eos ut cibus ignis, in tempore vultus tui, Dominus in ira sua conturbabit eos, & deuorabit eos ignis*. Plalm. 139. *Cadent super eos carbones, in ignem deiciet eos, in miseris non subsistent*. In nouo autem testamento mirum est quàm crebrò ignem illum nobis Christus obijciat in sententia Iudicis Matth. 25. *Ite in ignem æternum qui paratus est Diabolo*. In parabola Zizaniorum Matth. 13. *Exibunt Angeli & separabunt malos de medio iustorum, & mittent eos in caminum ignis ibi erit fletus & stridor dentium*. Marci 9. *Bonum est tibi debilem introire in vitam, quàm duas manus aut duos pedes habentem mitti in ignem inextinguibilem, ubi vermis eorum non moritur, & ignis non exstinguitur*. Luc. 15. *Crucior in hac flamma*. Apocal. 14. *Si quis adorauerit bestiam cruciabitur igne & sulphure, &c.* Quæro ego hîc, vtrum illa sint clara, vel vtrum sapiant metaphoram.

Patres.

Secundò, Sancti Patres ignem illum realem certò profitentur Augustinus lib. 21. ciuit. cap. 10. docet, quod *veris sed miris modis spiritus incorporeos penâ corporalis ignis affligit*. Ambros. in Psal. 118. perturbari se ait cogitantem ignem illum perpetuum, *illud sine fine incendiū perfidorum*. Cyprianus sermon. de ascensione Domini, *in corruptibiles flamma nudum corpus allambent, ardebit purpuratus diues, in proprio adipe fixa libidines bullient, & inter sartagine & flammis miserabilia corpora cremabuntur*. Eucherius mirabiliter homil. 1. ad Monachos: *Cum (inquit) inextinguibilis caro coeperit, & infecte peccatis medulle seuisissimis gehenna ignibus penetrari & more feruentium metallorum, inextinguibili ardore, tota hominis substantia, intus infundi, & de passentibus flammis corpora & anime ex parte consumi, ex parte nutriri, ut inter medios ignium globos damnata natura, det pabulum, & accipiat incrementum*. Vide

Tom. I.

cætera, concluditurque: *Va qui lugenda in posterum, videnda nunc credunt, ve quibus hac prius experienda sunt, quàm credenda*.

Neque verò certum duntaxat est, quod ibi sit verus ignis, sed etiam planè constat, quod sulphureus ille sit, *conuertentur enim (vt ex Isaia referebam) torrentes eius in picem, & humus eius in sulphur*. Plalm. 10. *Pluet super eos laqueos, ignis & sulphur pars calicis eorum*. Imò illud esse vastum & immensum stagnum ignis sulphurei, quod cavitatem illam ex parte repleat habetur ex citatis locis Apocalypsis, vnde rectè colligit Lessius libro 13. capite 24. qualis futurus sit damnatorum in inferno situs, & modum quo arsiuri sunt, mergentur enim intra stagnum in acervos collecti, neque flamma solum exterius applicabitur, sed membra omnia & viscera inflammabit, ardebuntque omnes vt carbonēs accensi, & vt ligna in fornacem coniecta, & spiritus iræ Domini succendens eam.

Dico quartò, præter ignem illum quo torquentur damnati, certum est fore in inferno tenebras horribiles, fætorē intolerabilem, fumum densissimum, fletum & stridorem dentium, aliæque tormentorum genera, quæ Dæmonibus erit liberum excogitare, ac exercere iuxta singulorum demerita.

Primò enim, tenebrarum scriptura frequenter meminisse Ecclesiast. 21. *Via peccantium complanata lapidibus, & in fine illorum, inferi, & tenebra & pœna*; Iob etiam vocat *terram tenebrosam & opertam mortis caligine*. Dicunt etiam sæpè Patres quod peccator à tenebris transit ad tenebras, & ita interpretantur id quod dictum est à Christo de tenebris exterioribus in quas mitti iubetur ille qui veste nuptiali non est indutus tempore conuiuij nuptialis: & sanè causat caliginem horrendam fumus densissimus ab igne prodicens sulphureo: & in centro terræ lux affulgere desuper nulla potest, neque permeare opacissima repagula totius elementi terræ. Neque tamen deerit illis aliqua lux vmbrosa, & nigra, è medijs flammis emicans per quam spectare miseri possint spectra horribilia monstra immania; tum dæmonum, tum aliorum hominum, quorum corpora fœdissima visu horrenda erunt.

Secundò, fumus ex tanto igne, & ex tot cadaueribus exultis omninò sequitur, & illius meminit sæpius scriptura tanquam tormenti molestissimi præsertim in Apocalypsi vbi dicitur *fumum fornacis magna ascendere in sæcula sæculorum, & è puteo abyssi erumpere fumantes globos*. Continetur autem neque sursum euaporari potest halitus pestifer, sed totus intra carcerem retentus incredibiliter torquet miserōs.

Tertiò, fætor inde sequitur qualem nulla vnquam camarina protulit ex confluentibus, vt dixi supra, omnibus mundi sordibus in illud sterquilinum, ex sulphureis & venenatis stagni vaporibus, sed præsertim ex illa tot cadauerum exustorum colluie, vnde nidor exhalans mephitim fœtidissimam sensum odoratus torquet miserabiliter; si enim vel vnum cadauer sufficit ad inficiendum locum capacissimum, quid non efficiet tot purulenta corpora, vlcerosa, putrida, lurida, & tot sæculis morientia sine fine mortis?

Quartò, fletus & stridor dentium quorum meminit sæpè Christus, respondere omninò videntur pœnæ damni, & pœnæ sensus, in quas tota damnatorum miseria solet diuidi pœna damni est priuatio beatitudinis, & bonorum omnium naturæ, gratiæ, gloriæ, si solam excipias existentiam, quæ bonum etiam esse desinet propter cumulum malorum quem cogetur pati:

Assertio
de reliquis
tormentis.

Tenebræ.

Fumus.

Fætor.

Pœna
damni &
sensus.

L I

ti:

ti: pœna sensus est dolor positivus, illatus ab externis obiectis. Hæc enim duo summam efficientiam damni miseriam, quod omni bono careat, quod omne sentiat malum, primum efficit tristitiam maximam & fletum, ex secundo dolor erumpet & stridor dentium propter intolerabiles cruciatus. Hæc autem diuisio adæquata sine dubio est, quia inter malum priuativum quod est pœna damni, & malum positivum quod est pœna sensus, nihil potest esse medium.

Vtrum autem tristitia & afflictio illa quam habent damnati de priuatione omnium bonorum præsertim verò beatitudinis, pertineat ad pœnam damni, an verò ad pœnam sensus, levis quæstio est, nam huiusmodi moeror propriè loquendo est pœna sensus, cum sit malum positivum & priuatio etiam beatitudinis etiam si nullus sequeretur ex ea dolor semper esset verum malum, sicut amentia est vera pœna, quamvis ignoretur ab eo qui eam tolerat: & in pueris vera erit damnatio, quamvis tristitiam eorum Deus sit impediturus. Potest tamen illa tristitia dici esse accessoria pœnæ damni, quia connaturaliter ex ea sequitur: Neque verò illa pœna damni potest dici æqualis esse in omnibus, quia est priuatio inæqualis beatitudinis, & tristitia etiam inæqualis ex ea sequitur propter diuersam apprehensionem.

Reliqua
supplicia.

Quintò denique varia & inaudita tormentorum genera Dæmones excogitabunt pro libito ut excrucient miseros specialiter id commeritos ob diuersa peccata; sic enim videtur indicari Proverb. 19. *Parata sunt derisoribus iudicia, & mallei percutientes scul-torum corporibus.* Vide omnino Cyprianum lib. de Laude Martyrij: Prosperum lib. de Vita contemplat. cap. 10. & ratio videtur esse, quia certum est inæqualia omnino esse tormenta damnatorum, imò & varia pro diuersis peccatis destinata esse supplicia, sicut varia in cælo pro variis virtutibus sunt assignata præmia, si autem nulla essent alia tormenta præter ignem tenebras horrendi carceris & cætera quæ hæcenus numerabam, vna esset damnatorum omnium pœna sensus, tamen enim rectè ab Eucherio ignis inferni sapiens dicitur, ex eo quod inæqualiter cruciat damnatos, & pœnam adæquat demeritis peccatorum, tamen perpetuum erit hoc miraculum, & longè videtur conuenientius quod ex aliis tormentis ponatur inæqualitas pœnarum illa quam dixi, ergo præter ignem alia sunt etiam in inferno genera pœnarum. Vnde

Non est
ignis me-
taphori-
cus.

Ad primam Respondeo non improbabiler poni à nonnullis verum frigus, & veros vermes in inferno propter allatas scripturas: sed vtrumque tamen ab aliis probabilius negari. (Vermis) enim nomine significari solet communissimè in receptissimo loquendi more conscientie remorsus, & perpetua eius accusatio & ita vulgò explicant Patres, quia cum vermium morsus in tormento ignis esse iudicetur levis pœna, non videtur admittendum esse tantum miraculum, ut viua persistant inter flammam hæc animalia. Frigus etiam illud magis esse solatium quam pœna: & locus Iob longè aliam habet explicationem, est enim duntaxat imprecatio temporalis pœnæ in adulteros, quibus omne genus imprecatur pœnarum: & sanè si essent in inferno niues non video quare diues epulo aquæ guttam tantà postuler contentione ad refrigerandum linguam. Itaque nullà ratione paritas est inter illa omnia & ignem cuius tam crebra, & tam constans in scripturis mentio est, ut illæ intelligi alio modo nequeant, de frigore nunquam nisi semel etiam ubi non agitur de inferno: vermis autem etiam in communi loquendi modo significat dolorem internum de peccatis.

Ad secundam Resp. illos Patres qui visi sunt dicere ignem inferni esse spirituales, voluisse tantum significare ignis illius, & nostri differentiam: quia scilicet non eget materia quam consumat, non destruit corpora quæ cremat, extingui non potest, lucidus non est, sed tantum calidissimus: cum autem cruciet corpora, certum est etiam illum spirituales non esse sed corporeum. Ad id quod additur de lingua diuitis epulonis, Respondeo probabitur illam esse tantum parabolam ubi homo integer in eo statu describitur in quo post resurrectionem futurus est vnde tam ignis quam lingua metaphorice non sumuntur sed propriè.

Non dif-
fert specie
à nostro.

Ad tertiam Resp. ignem inferni eiusdem sine dubio esse cum nostro speciei, quamvis differat ab eo accidentaliter, propter maiorem densitatem materiae, & actiuitatem longè acerbiorē. Fateor esse aliquo modo supernaturale quod non indigeat pabulo, neque corpora consumat ut rectè docent Augustinus lib. 22. Ciuitat. cap. 2. 3. & 4. Tertullianus cap. 48. Apolog. Est enim difficile, quomodo ignis qui omnia mixta soluit, & extenuat omnem humiditatem, non resoluat tamen corpora damnatorum. Sed certum tamen est diuinà id virtute fieri quæ prohibet ne calor extenuet & dissipet, sed duntaxat cruciet. Explicat Augustinus exemplo Salamandræ, montis Ethnæ, carnis Pannonis & aliorum quæ inter ignes dicuntur illæsa manere.

§. IV.

De tempore quo capit pœna demonum in inferno.

Habemus locum & genera pœnarum quibus cruciantur spiritus nequam, nunc de tempore quo cœpere puniri, triplex potest esse sententia, prima quod eo ipso instanti puniti sint quo primum peccarunt. Secunda, quod illorum damnatio in extremum diem iudicii sit dilata. Tertia, quod non eo quidem instanti quo peccarunt damnatio eorum cœperit, sed breui aliquo temporis spatio post peccatum commissum.

Triplex
sententia.

Ratio autem dubitandi est primò, quia impossibile omnino videtur, ut quo instanti peccarunt mali Angeli, eo etiam puniti fuerint, quia tunc cum aliquis reuerà damnatus est, priuatur omni gratia sufficiente, sed quo instanti Angelus peccauit habuit sufficiens auxilium ad non peccandum, ergo non potuit Angelus damnari eo instanti quo peccauit. Deinde Angelus in statu damnationis iam constitutus, est impotens ad non peccandum, eo autem instanti quo peccabat, erat potens ad non peccandum, ergo eo instanti non potuit Angelus damnari. Denique argumentari licet à simili de beatitudine, quia non potest eo instanti fieri beatus quo potest peccare, ergo neque potest eo instanti damnari quo potest non peccare.

Prima di-
bitatio.

Secundò, videtur etiam quod Dæmones igne inferni non crucientur nunc, sed quod ea pœna dilata illis sit post diem iudicii, tum in extrema sententia supremus iudex dicturus sit, *Ite in ignem æternum qui paratus est Diabolo, & Angelis eius*, ubi significari omnino videtur quod illa pœna in tempus illud reseruata sit, sicut etiam videntur dicere sancti Petrus & Iudas locis sæpè citatis, ubi dicitur: *Quod in iudicium magni diei reseruantur cruciandi Angeli rebelles.* Imò certum est id ab innumeris asseri Patribus, atque aded erroneum esse nullo modo potest.

Secunda
dubitatio.

Dico quintò, certum est non fuisse Dæmones damnatos eo instanti quo primum peccarunt, quia quis

Asserit
Bipartita.

eo etiam damnari potuerint neque poena eorum in diem iudicii dilata est, sed eadem fuit ab initio quae futura est in aeternum.

Prima pars Primam partem ferè solus inter Theologos negat Ferraricensis alij omnes asserunt perstitisse Angelos aliquo tempore in malitia, priusquam iustus in eos descenderet iudex, sic enim suadet praelium illud commissum in caelo inter bonos & malos Angelos. Deinde nullum haec tenens ex Scripturis, aut ex Patribus fundamentum dicendi poenam hanc tam subito rebellibus illatam fuisse, praesertim cum constet peccasse in caelo Angelos ubi torqueri poenâ ignis non potuerunt.

Quod autem potuerint eo ipso instanti quo peccarunt etiam damnari, negant nonnulli Theologi cum Suarez lib. 8. cap. 2. Mihi verò cum communi sententia videtur debere asseri, quia sicut eo instanti priuati sunt mali Angeli Dei gratia, sic potuit eis irrogari poena, non enim video cur eodem illo instanti temporis, sed in posteriori tamen instanti naturae non potuerint torqueri poena ignis.

Secunda pars. Secundam partem quae asserit Angelorum damnationem esse nunc integrè peractâ, non autem in diem iudicii dilatam negat Caietanus in cap. 2. 2. Petri, & videtur etiam cum illo sentire Petavius l. 3. cap. 4. à num. 11. Sed illa tamen communissima est, neque satis tuto negari potest, vt rectè docet Bellarm. l. 1. de Sanctorum beatitudine. c. 6.

Ratio est, quia Concilium Florentinum in decreto Fidei definit animas defunctorum statim post mortem si contigerit eas habere peccatum mortale, statim in infernum detrudi, non habuit autem Concilium rationem dicendi hoc de hominibus magis quàm de Angelis: quomodo enim de illis magis hoc verum est, quàm de aliis, cum aequè Angeli nunc sint extra viam, ac animae à corpore seiunctae, vel cum aliter Deus se cum hominibus gereret quàm cum Angelis. Imò si Angeli boni statim post perseverantiam admissi sunt in caelum ad beatitudinem consummatam, certum etiam esse debet, quod mali Angeli statim post peccatum retrusi sunt in infernum, quod etiam citato loco significat S. Petrus inferni rudentibus detractis, in aeternum tradidit cruciandos, ubi sermo non est de futuro, sed de praeterito.

Solutio dubitationum. Ad primam Resp. quod damnatio significet, & tormentum ignis, & carentiam omnis auxilij gratiae, certe non potuit Angelus damnari eodem instanti quo liberè peccauit, si autem sumatur pro tormento ignis duratio in aeternum, & carentia certa omnis auxilij non pro eo instanti, sed pro sequentibus certe non videtur dubium, quin possit Angelus eodem instanti quo peccat puniri.

Ad secundam Resp. Patres illos omnes qui visi sunt dicere quod Angelorum damnatio est dilata usque ad iudicium, explicari debere de confirmatione sententiae, quae tunc fiet pro Angelis & hominibus; tunc enim omnes in inferno clauduntur, neque liberum demonibus erit ire super terram aut in aëre manere, ubi multi nunc habitant: Christus cum dixit ignem illum paratum esse diabolo & Angelis eius, non negat propterea illos cepisse prius illo igne cruciari: sicut etiam S. Petrus & Iudas ita dicunt daemones referuari ad diem iudicii, vt etiam dicant illos iam rudentibus inferni detractos torqueri.

S. V.

Vtrum poena Daemonum in inferno futura sit aeterna.

HOc est vltimum punctum ex quinque illis quae proposueram & omnium maximè admirabile

Tom. I.

quod creaturas adeò nobiles, vnam ob culpam in aeternum Deus proiecerit, neque apponet vt illis complacitior sit adhuc, quod omni generi probationum suaderi omnino debet, & persuaderi, estque probatum accuratissimè prima secundae in tractatu de peccatis, nunc autem iis omnis quae ibi dixi.

Ratio dubitandi sit primò, quia quoties scriptura comminatur aeternas poenas, explicari facillè potest de longissimi temporis mora, quo pacto certum est, sapè in scripturis sumi aeternitatem: vt cum dicitur Pl. 88. *Quod semen Davidis in aeternum manebit, & luna dicitur perfecta in aeternum*, hoc est in longum tempus, ergo etiam aeternae poenae nomine potest intelligi poena diuturna.

Secundò, grauissimi multi Patres in hac videntur omnino esse sententia: notum est enim de Origene id esse non posse dubium, sed praeter illum etiam vix aliter explicari possunt Gregorius Nyssenus & Nazianzenus, imò & Hieronymus cum Ambrosio satis perspicuè locis olim adductis suam mentem explicant, & videntur negare poenarum aeternitatem.

Tertiò, ratio quae id probet, vix afferri vlla potest imò si peccatum infinitum non est neque meretur poenam infinitè intentam, vix ostendi potest quomodo mereatur poenam infinitam in duratione.

Dico sexto, poena demonum ita erit aeterna vt nullo vnquam temporum lapsu, nulla saeculorum quantacunque accessione finem habitura sit. Ita omnino loquuntur quotquot Christiani sunt.

Primò enim testatur id Deus sapissimè in scripturis vtriusque testamenti, vt sapè in superioribus dixi, v. gr. Isaia 66. *Vermis eorum non morietur, & ignis non exstinguetur*, quibus verbis prophetiam suam concludit Propheta: *vt legentibus insigat aculeum obijciens poenarum peremittatem*. Danielis 12. *Multi qui dormiunt in terra puluere, euigilabunt, alij in vitam aeternam, alij in opprobrium, vt videant semper: in hebraeo habetur in contemptum sempiternum*. Pl. 91. *Nimis profunde facta sunt cogitationes tuae, vir insipiens non cognosceret, & stultus non intelliget haec, cum exorti fuerint peccatores sicut fœnũ &c. vt intereant in saeculis saeculi, tu autem altissimus in aeternum domine*. Iudith. 16. *Dabit ignem & vermes in carnes eorum, vt vrantur & sentiant usque in sempiternum*. Ex nouo etiam testamento non obscuriora neque pauciora suppetunt testimonia, Matth. 25. *Ite in ignem aeternum, ibunt hi quidem in supplicium aeternum, iusti autem in vitam aeternam*; legit Augustinus in combustionem aeternam. Thessalonicens. 1. *Qui poenas dabunt in interitu aeternas à facie Domini*. Apocal. 14. *Si quis adorauerit bestiam cruciabitur igne & sulphure, & fumus tormentorum eius ascendet in saecula saeculorum*.

Secundò, testatur Deus id etiam per Ecclesiam quae in omnibus conciliis id definit, in omnibus Symbolis id proponit, in omnibus conuentibus id edicit. Sed per interpretes etiam suos id est sanctos Patres id crebro repetit, & per eos poenarum aeternitatem semper inculcat fidelibus vt aeternitatis memoria infixâ hareat illorum cordibus, sic enim tradit Augustinus lib. 21. ciuiat. per multa capita, libro de cura pro mortuis, & in Enchiridio cap. 110. alibique sapius Gregorius lib. 13. Moral. cap. 16. lib. 4. Dialogor. cap. 44. Chrysostomus homil. 9. in priorem ad Corinthios, homil. 13. ad Philipp. homil. 12. in acta. Eleganter omnino Tertullianus in Apolog. cap. 45. *Enimvero, inquit, nos qui sub Deo omnium speculatore dispungimur, quique ab eo aeternam poenam prouidenter merito soli immo etiam occurrimus, & pro scientiae plenitudine, & pro latebrarum difficultate, & pro magnitudine crucians, nò diuturni veris sempiterni enim timentes, &c.*

L 2

Minucius

Prima dubitatio.

Secunda dubitatio.

Tertia dubitatio.

Scriptura.

Patres.

Minucius felix in Octauio: *Nec tormentis aut modus ullus aut terminus, illic sapiens ignis membraurit & reficit carpit & nutrit.* Cyprianus lib. ad Demetrianum, *quando hinc excessum fuerit nullus iam poenitentia locus est, hoc vita vel amittitur, vel tenetur.* Fulgentius lib. de Fide ad Petrum, *firmissime tene & nullatenus dubitos ex ore Dei iusti aternique Iudicii sempiterna & incommutabili prolata sententia, iniquos semper arduos cum Diabolo.* Demum ut alios omittam Eucherius homil. 1. ad Monachos: *Quia non recipit causa remedium, carebit sine supplicium, occidente itaque poena, & uiuificante sententia stabit sacris materia reparabilis, & nunquam ad metam malorum termino fugiente perueniet, &c.*

Ratio.

Tertio, cur huiusmodi poena iuste debita sit peccato licet finito, fuisse alibi tradita est; reiectis enim pluribus aliis quæ sine dubio vel nihil probant, vel probant similiter debitam esse peccato veniali poenam aternam, hæc una placuit quam breuiter sic concludo peccatum mortale tandiu purgari debet, quandiu integer manet reatus poenæ qui per illud contractus est; quandiu enim manet obligatio ad poenam subiri etiam debet poena: Sed reatus poenæ quam commisit peccatum mortale integer perseuerat per totam aternitatem, quia per illud peccatum in eo statu homo vel Angelus constituitur, in quo nihil omnino satisfacit offenso Deo; cum enim principium vitæ in eo non sit per quod opera reduntur satisfactoria, & meritoria, certe nihil unquam detrahit de obligatione soluendi, quæ proinde semper perseuerat integra, ergo per totam aternitatem meretur poenam. Sed hæc alibi fusiùs ubi omnia etiam sunt soluta quæ aduersus rationem illam opponi possunt.

Solutio dubitationum.

Ad primam, Resp. concedendo quod in Scripturis aliquando ut aliquid significetur longo duraturum tempore, dicitur duraturum in aeternum ut ex multis locis conuinci potest. Sed nego tamen quod ex Scripturæ in quibus significatur aternitas poenarum, intelligi eo modo possint, primò quia sæpe dicitur quod illa finem nunquam sint habitura: *Vermis eorum non morietur, & ignis non exstinguetur.* Deinde ita intellexere omnia Concilia, omnes Patres, tota explicat Ecclesia, aternæ igitur erunt in inferis id est nunquam finiendæ miserorum poenæ; implebunt sæcula & manebunt integræ omnibùsque maiores sæculis, cogita tot sæculorum milliones quot sunt in omnibus arboribus folia, in omnibus animalibus pili, in omnibus oceanis & maribus, & fluminibus guttæ, in omnibus littoribus arenæ, imò quot necessaria essent pulueris grana ad replendam capacitatem totam à centro terræ ad superficiem conuexam cæli empyrei, quæ multitudo excedit totum illud quod humana cogitatio potest assequi, & tamen post illam adhuc integra aternitas illa suppliciorum erit, & restabunt post illam infinita sæcula.

Ad secundam, Resp. concedendo negatam fuisse ab Origene poenarum aternitatem, hausta ex Platonis fontibus infania. Fuit enim ille sine dubio auctor dogmatis huius quo dicebatur Diabolum purgatum vitiis atque peccatis, pristinam aliquando gloriam recepturum ut loquitur Theophilus Alexandrinus epist. 2. Paschali. immeritò autem purgare ab eo errore Credibile nisi sunt nonnulli recentiores, cum tamen Credibile non sit illum potuisse à tot Patribus falsò accusari, & à quinta Synodo; nullus enim est ferè Patrum qui non hanc maculam Origene attribuat, præsertim Hieronymus, Epiphanius, Augustinus, Sophronius, ut nullus planè defensionem eius locus esse posse videatur. Gregorius Nyssenus explicari difficile potest. Nazianzenus Hieronymus & Ambrosius de solo loquuntur igne purgatorij.

Ad tertiam Respondeo allatam rationem effica-

cem esse, & si lateret nos ratio tantæ Dei seueritatis sufficiens tamen ratio esse posset Iustitia Dei, sic æquissimè decernentis.

SECTIO II.

De Poena sensus propria Dæmonum ab igne inferorum.

Habes ex hæcenus dictis Catholicam veritatem de poena malorum Angelorum; dixi enim illos vero igne pro certo cruciari, locum ubi cruciantur, tormentorum genera quibus cruciantur, tempus à quo cæpit eorum supplicium, & tempus quo illud est duraturum: in quibus certa & comperta sunt omnia, parum autem aut potius nihil esse potest controuersiæ Theologicæ. Nunc autem modus quo ignis ille corporeus cruciare potest & infligere dolorem spiritibus qui verè sit, & vocari possit combustio, difficultas est, ut fatentur omnes cum Augustino adhuc insoluta, nec ylo humano ingenio solubilis: in qua tamen ut probabilia saltem dicamus, si dicere non possumus omnino certa. Primò mihi aperiendus videtur status difficultatis & ratio dubitandi. Secundò, solutiones minus probabiles afferendæ ac reiiciendæ. Tertio, exponenda probabilior resolutio controuersiæ. Quarto soluenda tota ratio dubitandi.

§. I.

Status difficultatis & ratio dubitandi.

Fundamentum ergo difficultatis totius hoc loco est, quia ex hæcenus dictis omnino constat, quod ignis non modò cruciat, sed etiam urit Dæmones non metaphorice sed verissimè ac propriissimè, tam enim est certum quod non est metaphorica duntaxat combustio Dæmonum, quam est certum illos cruciari à vero igne qui non sit tantum metaphoricus; *Dicitur enim ite in ignem aeternum, qui paratus est Diabolo & Angelis eius,* ubi Augustinus legit, *in combustionem aeternam,* sed ignis ille pro certo verus est non metaphoricus, ergo etiam combustio Angelorum non est metaphorica sed vera, realis, propria combustio.

Fundamentum difficultatis.

Vnde grauissima oritur ratio dubitandi primò, quia ignis non potest cruciare Dæmones per veram combustionem, si causare in illis non possit dolorem similem illi quem anima sentit vnita corpore quod comburitur, si enim aliud est genus doloris, iam non est combustio. Neque tormentum ignis. Sed implicat ut ignis causet in spiritu incorporeo dolorem similem illi quem sentit anima vnita corpore, ergo implicat ut ignis cruciet Dæmones per veram combustionem. Minor probatur, ut ignis causet dolorem in Angelo proportionatum dolori quem anima sentit vnita corpore quando illud comburitur, necesse est ut intellectus Angeli apprehendat ignem ut obiectum disconueniens eo modo quo anima illum apprehendit disconuenientem dum vritur corpus, nam ad dolorem qui sine dubio est actus vitalis, requiritur apprehensio obiecti disconuenientis, & ad dolorē combustionis, requiritur apprehensio obiecti eo modo disconuenientis, nam dolor vitalis cū sit actus appetitus sequitur ex apprehensione obiecti, & talis dolor sequitur ex apprehensione obiecti tali modo disconuenientis: sed intellectus Angeli non potest apprehendere ignem ut obiectum eo modo disconueniens quo illum apprehendit anima, id est per modum combustiui, ergo implicat ut ignis causet in Angelo dolorem illi similem, quem anima sentit exulto corpore, veram scilicet combustionem. Minor non videtur egere probatione: Nam anima ideò ignem apprehendit ut obiectum disconueniens quan-

Prima dubitatio.